

suae nomine civitatem Lypzk cum districtibus iudiciorum quatuor sedium iudicialium videlicet sedis ante civitatem Lypzk super fossato quod steingrube dicitur, sedis in Rotowe, sedis in Ranstete sedisque in Luzin et bonis solutis in Lypzk et in praedictis districtibus sitis, quae omnia illustris princeps Fridericus marchio Misnensis, Orientalis et de Landesberc a praedicto domino Heinrico episcopo tenuit et postulavit conferri filiae suae Elyzabeth, ipsi domicellae Elyzabeth nostrae filiae praedilectae contulit eo iure sive titulo, quod lypgedinge vulgariter nuncupatur, quod eadem bona pacifice possideat temporibus vitae suae, postquam autem debitum carnis exsolverit Elyzabeth memorata, omnia praedicta civitas et iudicia cum bonis solutis ad praedictum episcopum sive successorem suum et ad ecclesiam Merseburgensem libere revertentur, bonis tamen infeodatis sitis in civitate et iudiciis praedictis nec non fassallis et hominibus sibi et ecclesiae suae nichilominus reservatis. Ne vero super praemissis cuiquam dubium oriatur, praesentem litteram de iussu et voluntate nostra conscriptam sigillorum nostrorum munimine dedimus roboratam. Huius rei testes sunt dominus Heyno, dominus Cunradus et Thymo fratres dicti Knuth, dominus Theodericus praepositus Merseburgensis, dominus Cunradus archidiaconus dictus de Strele, dominus Heinricus scolasticus, Cunradus Hevestrid canonici Merseburgenses, dominus H. de Slatebach, dominus Th. Pubsh et dominus Volmarus de Hayn et dominus Cunradus de Luppe et quam plures alii fide digni. Actum et datum Wizenuels in domo fratrum minorum anno domini M^o.CC^o. nonagesimo II^o. Nonas Junii.

Nach dem Orig im Stiftsarchiv zu Merseburg mit einem zerbrochenen Siegel an einem Pergamentstreifen. Ein zweites ebenso befestigt gewesenes Siegel ist abhanden gekommen.

Förstemann n. Mittheil. III. Hft. 2. S. 78.

No. 21. 1292. 26. Aug.

Landgraf Albrecht lässt in Folge eines anderweit mit dem Bischof von Merseburg abgeschlossenen Vertrages die Gerichtsstühle Ranstädt und Lützen auf, und gelobt für Leipzig, die andern zwei Gerichtsstühle, Naunhof und Grimma, welche ihm unter gewissen Verabredungen auf Lebenszeit überlassen worden sind, 2000 Mark Silbers in vorgeschriebenen Zahlungsfristen und mit unterpfändlicher Einsetzung von Freiburg und Eckartsberga zu bezahlen.

Nos Albertus dei gratia Thuringorum lantgravius et Saxoniae comes palatinus recognoscimus et universis hanc litteram intuentibus cupimus esse notum, quod cum venerabili domino nostro .. Mersburgensi episcopo placitavimus in hunc modum, quod dictus dominus episcopus et ecclesia Merseburgensis duas sedes iudiciales scilicet Ranstete et Lucin cum hominibus, bonis liberis et infeodatis, castris curiis et universis bonis quocunque censeantur nomine in his iudiciis contentis retinere debent perpetuo possidendas. Has quidem sedes iudiciales cum praenominatis bonis, quas praefatus dominus noster episcopus nobis in feodo contulerat, in manibus suis resignavimus et his praesentibus liberaliter resignamus, renunciantes omni iuri quod nobis in iam dictis bonis quomodolibet competebat vel competere videbatur, nihil iuris penitus nobis in eisdem in posterum vendicantes. Praeterea praefato domino episcopo et ecclesiae Mersburgensi duo milia marcarum argenti solvere tenemur in terminis infra scriptis pro eo, quod nobis contulit civitatem Lipzk cum duobus iudiciis in Rotowe